

possit vita produci. Ad parata nati sumus: nos omnia nobis
difficilia faciliū fastidio fecimus. Tecta tegimentaue et
fomenta corporum et cibi et quae nunc ingens negotium facta
sunt obvia erant et gratuita et opera leui parabilia; modus
5 enim omnium prout necessitas erat: nos ista pretiosa, nos
mira, nos magnis multisque conquirenda artibus fecimus.
Sufficit ad id natura quod poscit. A natura luxuria descivit, 19
quae cotidie se ipsa incitat et tot saeculis crescit et ingenio
adiuvat vitia. Primo supervacua coepit concupiscere, inde
10 contraria, novissime animum corpori addixit et illius deser-
vire libidini iussit. Omnes istae artes quibus aut circitatur
civitas aut strepit corpori negotium gerunt, cui omnia olim
tamquam servo praestabantur, nunc tamquam domino paran-
tur. Itaque hinc textorum, hinc fabrorum officinae sunt, hinc
15 odores coquentium, hinc molles corporis motus docentium
mollesque cantus et infractos. Recessit enim ille naturalis
modus desideria ope necessaria finiens; iam rusticitatis et
miseriae est velle quantum sat est.

Incredibilest, mi Lucili, quam facile etiam magnos viros 20
20 dulcedo orationis abducat a vero. Ecce Posidonius, ut mea
fert opinio, ex iis qui plurimum philosophiae contulerunt,
dum vult describere primum quemadmodum alia torquean-
tur fila, alia ex molli solutoque ducantur, deinde quemad-
modum tela suspensis ponderibus rectum stamen extendat,
25 quemadmodum subtemen insertum, quod duritiam utrimque
conprimentis tramae remolliat, spatha coire cogatur et iungi,
textrini quoque artem a sapientibus dixit inventam, oblitus
postea repertum hoc subtilius genus in quo